



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

2. Vtrum detur voluntatis actus supernaturalis indifferens secundum suam speciem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

dere fide Christiana, ille actus est supernaturalis, vt colligitur ex Concilio Araucano II. & tamen illa voluntas potest esse non bona, si fiat ex affectu ad temporalia commoda, & idem argumentum est de actu spei, vel de timore serui- li, & similibus. Et ratio à priori est, quia vt actus sit supernaturalis, satis est, quod sit voluntas absoluta, & efficax supernaturalis obiecti: quia non potest voluntas solis naturalibus viribus tendere efficaciter in obiectum supernaturale: sed hoc non satis est, vt actus sit intrinsece honestus, & rectus, nam & in illo obiecto, vt sic, potest esse aliqua ratio boni indifferentis, qualis est in fide ratio veri: Vnde sicut velle scire ex vi obiecti est indifferens actus, ita & velle credere: & in obiecto spei conuenientia, seu commoditas propria naturæ: etiam est quædam ratio de se indifferens, & sic de alijs. Confirmatur: nam hæc ratione potest esse excessus in amore horum obiectorum, & in timore etiam seruili: ergo si- gnum est in ipsis obiectis esse indifferentiam: Tandem actus fidei, qui est in intellectu, licet su- pernaturalis sit, est indifferens, vt possit bene, & male fieri: cur ergo repugnabit esse in voluntate similis actus, & etiam indifferens.

IV. Dicendum tamen existimo nullum esse actum supernaturalem voluntatis in substantia, & specie sua, qui non sit actus studiosus, & honestus ex vi suæ speciei, & substantiæ, atque adeo ex vi obiecti sui. Hæc videtur mihi communis sententia Theologorum, qui ideo fortasse nunquam de hoc questionem mouerunt, quia illud tanquam certum supposuerunt: idque ex parte probant argumenta numero 1. facta de actibus malis, quia actus supernaturalis voluntatis habet Deum principalem, & speciale autorem medio suo auxilio supernaturali excitante, & adiuvante: Deus autem non excitat hominem ad actus indifferentes, sed ad actus bonos, vt sic: vnde Concilia quæcumque agunt de actibus supernaturalibus, de eis loquuntur, vt de actibus bonis, & studiosis: item vrget illud argumen- tum quod nullus sit habitus per se infusus per se indifferens, sed omnes sunt virtutes, vel intelle- ctuales si sint in intellectu: vel morales, vel appetitiuæ si sint in voluntate: neque enim fieri potest, vt habitus, qui essentialiter est virtus vol- untatis, eliciat actum indifferenter, vt iam ostendi. Vnde vltimus argumentor contraria inductione, nam de actibus charitatis iustitiæ, & aliarum virtutum moralium infusarum, nul- lus vnquam dubitauit, quin sint intrinsece honesti, de actu vero spei id expresse affirmavit D. Thomas 2. 2. quest. 17. art. 1. ad primum. Probatur- que ratione quam insinuat, quia spes habet tale obiectum, vt ex vi illius præcise sumpti possit habere bonitatem. Ergo potens esse elicere actum studiosum ex vi sui obiecti: ergo actus eius sem- per talis est ex vi suæ speciei & obiecti, & quan- do cumq; non est talis, sed indifferens, reuera nõ est actus eius. Antecedens probatur, quia spes, & attingit Deum, vt maximum bonum homi- nis, & eidem inuitur, vt supremo principio om- nis boni, & quodlibet horum est per se ma- xime decens, & consentaneum inclinationi na- turæ, vt eleuat ad supernaturalem finem: ergo tale obiectum de se est sufficiens ad honestandũ actum. Prima consequentia probatur, tum quia spes tendit in hoc obiectum sub ratione perfe- cta: tum etiam quia ille actus tendens in hoc ob- iectum est possibilis homini per diuinam gratiã, & non spectat ad aliam virtutem, nisi ad virtu- tem spei: secunda vero consequentia probatur, quia vnus, & idem habitus non potest operari

Suarez in primam secundæ D. Thomæ.

circum idem obiectum materiale sub rationibus formalibus omnino diuersis, nam vnitas habi- tus, vel virtutis non sumitur ex materiali ob- iecto, sed ex formali, & hæc ratione quamuis mate- riale temperantiæ acquisita, & infusæ sit vnus, tamen habitus sunt distincti, quia sub diuersis rationibus, & motiuis in illud tendunt, id est, sub diuersis rationibus bonitatis: ergo in præsen- ti, si spes infusa & supernaturalis attingit ob- iectum suũ sub ratione obiecti honesti, non potest eadẽ virtus attingere illud sub alia ratione boni de se indifferente: ergo si elicit actus circa tale obiectum intrinsece, & ex specie sua honestos, non potest elicere actus ex specie sua indifferen- tes: ergo nulli sunt tales actus supernaturales, a- lioquin oporteret duas spes supernaturales di- stinguere, aliam honestam, aliam indifferenter, vt illa sit virtus, non autem hæc, & consequen- ter, vt hæc maneat in peccatore, non autem illa: consequens autem est plane absurdum, & præter omnium sententiam. Atque idem argumentum fieri potest de supernaturali voluntate credendi, non est enim dubium, quin talis voluntas ex vi il- lius obiecti possit esse honesta, quia hoc ipso, quod est captiuare intellectum in obsequium verita- tis primæ, & fidem adhibere Deo loquenti, est ob- iectum maxime consentaneum rationi, & hone- stissimum, secluso omni fine extrinseco, potest ergo illa voluntas supernaturalis ex obiecto esse honesta, & consequenter illi responderet habitus supernaturalis: indifferens ergo simpliciter nul- la est, quia omnis voluntas supernaturalis cre- dendi potest elici ab illo habitu, vel fingendi es- sent duo habitus supernaturales in illo ordine, quod est absurdum. Quarto addi potest ratio: quia vt actus sit supernaturalis, non satis est ma- teriale obiectum esse supernaturale, sed oportet etiam rationem attingendi illud esse supernatu- ralem: hæc autem ratio semper est honesta in obiectis voluntatis: ergo etiam actus ipse su- pernaturalis ex vi talis obiecti est honestus. Maior constat, tum quia species, & substantia actus su- mitur ex formali obiecto, vt sepe dictum est, tum etiam quia assensus intellectus licet sit de re su- pernaturali, si non sit sub ratione, & motiuo su- pernaturali, non est supernaturalis: tum deni- que, quia res supernaturalis potest interdum à- mari sub ratione aliqua turpi, seu contraria re- ctæ rationi, & tunc actus non est supernaturalis ex vi obiecti materialis, alias actus intrinsece malus ex formali obiecto, esset supernaturalis quoad substantiam, quod esse falsum ostendi- mus. Minor autem probatur, quia ratio bonita- tis supernaturalis sumitur per conformitatem ad supernaturalem finem, vel ad naturam ratio- nalem, vt eleuatam per gratiam, & supernatura- le dictamen rationis: sed hæc ratio bonitatis est per se maxime decens, & honesta: ergo hoc ip- sum quod obiectum voluntatis est supernatu- rale appetibile, est etiam honestum. Confirma- tur à simili: quia in intellectu non potest esse ac- tus supernaturalis quoad substantiam, quin sit actus virtutis intellectualis, & infallibiliter ve- rus ex vi sui obiecti formalis: ergo neq; in volun- tate potest esse actus supernaturalis in substan- tia, quin sit actus virtutis & bonus, ac honestus ex vi sui obiecti formalis: probatur consequen- tia à paritate rationis.

V. Ad rationem dubitandi in principio positam negatur assumptum: aliud enim est actum super- naturalem voluntatis posse esse bonum vel ma- lum ex obiecto, aliud vero ex fine extrinseco, & remoto. Primum est falsum etiam in actu spei, vt colligitur ex dictis, & ex D. Thom. citato loco 2. 2.

C c qui

Item de a- ctu volendi credere.

4. Argum.

Handwritten notes in large letters, possibly 'MAREZ' or similar, with some smaller text below.

ionis ubi.

a q- mal- lavi a su- muntur na-

IV. assertio questionis negatiua.

3. Arg. de actu spei.

III. vno & mens a- tus super- naturalis differen-

qui hac ratione dixit, quod sicut nullus male vitur aliis virtutibus, vt principio: ita etiam neque spe, sed tantum, vt obiecto. Secundum vero est probabile iuxta dicta praecedenti disputatione, tamen etiam si id admittamus non inde sequitur actum esse ex obiecto indifferentem: nam iuxta illam opinionem dicendum est voluntatem posse ex intentione mali finis sibi met imperare actum ex obiecto bonum, & ita tunc actus non est indifferens, sed ex obiecto bonus, & malus ex fine: vnde quoad hoc non est specialis ratio de pia affectione, seu actu spei: nam si in his actibus hoc admittitur, idem dicendum erit de actibus virtutum moralium, imo & de actu charitatis, saltem quantum ad malitiam venialem ex fine, quae non repugnat substantiali obiecto charitatis, quod si hoc genus imperii, & talis coniunctio bonitatis ex obiecto cum malitia ex fine, non admittitur in aliis actibus honestis, non est etiam cur admittatur in actu supernaturali spei, & pia affectionis, nam est eadem ratio, cum hi etiam actus sint ex obiecto honesti: vnde quotiescumque aliquis ex humano motu videtur exercere actum spei, vel fidei, vel reuera non exercet actum supernaturalem, vel non elicitur, neque imperatur proprie ex illo motu, sed solum voluntas complacet in illo actu itaquam in quodam materiali obiecto, quod refert ad extrinsecum finem humanum, vel prauum, quod non est satis ad denominandum illum actum malum, vt supra dictum est, & ex hoc patet responsio ad reliqua.

S E C T I O III.

Vtrum detur actus voluntatis indifferens in individuo.

I. *Opinio affirm. prout ab Scoto: questio praesens intelligitur.*

Sermo est de indifferentia in bonitate, & malitia non in merito gratiae, aut gloriae: nam hoc posterius pendet ex principiis de gratia, quae hic non sunt disputanda. Prima opinio affirmat dari actum humanum in individuo indifferentem: ita Scotus in secundo distinctione. 41. Quia tamen videtur contradictio in dictis Scoti, aduertendum est in doctrina eius aliud esse, actum voluntatis esse bonum ex obiecto, aliud vero esse bonum moraliter: Scotus ergo consequenter docet nullum actum esse in individuo, qui non sit bonus, vel malus ex obiecto, quia non potest esse in individuo, quin sit in aliqua specie: sed ille non admittit medium inter illas species: ergo nec potest admittere individuum, quod non sit sub alterutra illarum: addit tamen posse dari in individuo actum ex obiecto bonum, qui non habeat alias circumstantias requisitas ad bonitatem moralem, & hunc vocat actum indifferentem: huiusmodi autem actum significat esse posse duplicem, quia, teste Aristotele 2. Ethicorum cap. 4. Vt actus sit bonus moraliter, necesse est quod fiat bono modo promptè, & delectabiliter, quod non habet nisi procedat ab habitu. Sed immerito Scotus vocat hunc actum indifferentem, cum sit eiusdem rationis intrinsecè cum posterioribus actibus, & habeat omnes circumstantias requisitas, & debitas, nam operari ex habitu licet sit conditio requisita ad melius esse, & ad perfectiorem modum operandi, de quo Aristoteles supra loquitur, non tamen est circumstantia debita ad bonitatem moralem, vt rectè D. Thomas q. 1. de malo art. 4. ad 17. & sumitur ex doctrina eiusdem 1. 2. q. 100. Vbi dicit modum virtutis non cadere sub praecipuum:

Quis enim dicat primum contritionis, vel amoris actum esse indifferentem, & non moraliter bonum, quia non procedit ab habitu: Vnde falsum est etiam quod ibi ad secundum Scotus concedit, huiusmodi actus non generare habitum simpliciter bonitatis, quia si ab his non generatur à nullis aliis generari potest. Alius ergo modus indifferens actus est, quando non fertur in finem honestum, qui modus etiam est falsus, quando in ipso obiecto est honestas, vt ex supra dictis patet.

Quando autem in obiecto neque est honestas, neque malitia, nec refertur in finem bonum, hoc modo docuit hanc sententiam affirm. D. Bonavent. eadem d. art. 1. quest. 13. & ibi Gabriel artic. 1. concl. 1. Ocham in 1. quest. 1. dist. 11. Almayn. tract. 1. moralium c. 14. Fundamentum est facile ex dictis, nam huiusmodi actus ex obiecto indifferens possibilibus est: ponatur ergo in rerum natura in aliquo individuo, tunc non est necesse illi extrinsecus adiungi aliquam malitiam. Probatur, quia non ex obiecto, vt constat, non ex circumstantiis, tum quia sicut obiectum potest esse indifferens, ita circumstantiae omnes, vt per se notum videtur, tum etiam, quia, vt saepe dictum est, circumstantiae sint obiectu: illarum respectu actus interioris transeunt in rationem obiecti: si vero sint ex parte ipsius actus, illae non dant bonitatem, vel malitiam, nisi supposita bonitate, vel malitia ex obiecto, & fine: non etiam ex fine; primo, quia potest actus in nullum finem extrinsecum referri eo tempore, quo homo nihil tenetur operari propter talem finem: ergo tunc actus non erit malus ex fine, quia nec positus, neque refertur in malum finem. Quod probatur, quia, absolute loquendo, homo interdum nihil tenetur prorsus operari: ergo etiam si velit operari circa tale obiectum indifferens non tenetur operari, propter alium finem extrinsecum honestum. Confirmatur, nam interrogo, quis sit iste finis, propter quem debet operari talem actum? aut enim est Deus ipse, & hoc non, nam etiam ipsa honesta opera non tenetur homo semper referre in Deum, vt supra dictum est: ergo multominus indifferentia: vel est alius particularis finis, & nullus talis assignari potest: addit Bonavent. Quod etiam si interdum occurrat haec obligatio referendi talem actum in finem bonum, carentia illius relationis erit per se quoddam peccatum omissionis, non tamen reddet actum malum, sed relinquet indifferentem, quia ille actus nullo modo imperatur ab illa omissione. Vltimo potest confirmari haec sententia, nam homo potest aliquid deliberate operari propter indigentiam naturae, vel eius commoditatem eo tempore, loco, & modo, quo nihil contra rationem faciat, neque contra aliquam legem prohibentem, sed hic actus ita factus non est malus, quia etiam ratio operandi est sufficiens, & aliunde nihil inordinatum, neque sufficienti aliqua ratione ostendi potest teneri hominem ad operandum semper ex aliqua altiori ratione: sed neque etiam est bonus ille actus, vt patet ex dictis in superioribus, quia non tendit in honestum, quatenus honestum est, & quia illa ratio operandi quantum est de se est indifferens ad mediocritatem, & excessum: ergo talis actus erit indifferens.

Secunda opinio praecipua est non dari actum humanum indifferentem in individuo. Haec tenet D. Thomas 1. 2. quest. 18. artic. 9. & quest. 2. iuxta praedictum de malo articulo 2. & in 1. dist. 1. quest. 3. ad 3. & in dictum 1. 2. dist. 40. artic. 5. & ibi Albert. artic. 4. Richard. sum. artic. 2. quest. 3. Durand. quest. 1. Capreol. quest. 1. in li.

II. *Opinio aliorum etiam affirm. in sensu proprio huius quest.*